

CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES  
UNIVERSITY OF TORONTO

*Level Two Medieval Latin Examination*

**31 August 2023**

---

Translate **ALL FOUR** passages. The examination has been set for three hours. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is **NOT** permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. DO NOT USE PENCIL.

---

**1. Henry I announces that Teudo of Ferté-sur-Ourcq has renounced the rights he had claimed over the estate of Marizy-Sainte-Geneviève, in favour of its deacon and canons.**

In Dei nomine, ego Hinricus rex Dei gratia Francorum, omnibus nostris fidelibus, tam presentibus quam futuris, notum fieri volumus qualiter Teudo de Firmitate quę appellatur *Urc*, ante nostram presentiam veniens, consuetudines malas, quas injuste possederat in villa apostolorum Petri et Pauli et sanctę Genovefę quę Marisiacus nominatur, ejus loci decano Ulrico et canonicis adstantibus dimisit; his retentis quas predecessores tenuerant sui quasque tam canonici quam ejusdem pagi villani racionibus suis raciocinati sunt et jurejurando comprobaverunt. His exceptis, alias omnes consuetudines, quas antehac injuste possederat, ecclesię apostolorum Petri et Pauli et sanctę Genovefę in perpetuum, sine ulla inquietatione, dimisit; litteris inde ejus instinctu et assensu compositis manuque propria firmatis, nostra necnon nostrorumque fidelium manu corroboratis. Quod si ipse vel aliquis ex heredibus suis missionem hanc calumpniari vel destruere presumpserit, auri cocti nobis libram componat nihilque proficiat, sed quod temptaverit irritum permaneat; et ut hę litterę firmę et stabiles in perpetuum maneant, ex meo sigillo insignire feci.

**2. Why a king should give honour to God and the church at the start of his reign, and attend to the scales of righteousness.**

Postquam regale sceptrum regnique gubernacula rector Christianus susceperit, primum quidem gratiarum actiones atque condignos Omnipotenti sanctaeque ecclesiae honores oportet ut rependat. Res etenim publica tunc suo initio pulcherrime consecratur, cum regia sollicitudo et sacra devotio sancto superni regis timore simul et amore accenditur, cumque de gloriosa ecclesiae utilitate provido consilio procuratur, ut, quem regalis purpura ceteraque regni insignia exterius condecorant, eundem laudabilia vota erga Deum et sanctam eius ecclesiam interius perorment, quia nimirum ad temporalis regni fastigium tunc insigniter ascenditur, cum de omnipotentis regis gloria et honore pio studio pertractatur. Pius itaque princeps summi dominatoris omnium voluntati et sanctis praceptis oboedire magnopere studeat, cuius superna voluntate atque ordinatione se ad culmen regiminis ascendisse non dubitat, testante apostolo qui ait: “non est potestas nisi a Deo; quae autem a Deo sunt, ordinata sunt”. Quantum ergo se bonus rector a Deo ordinatum esse cognoscit, tantum pia sollicitudine invigilat, quatinus omnia coram Deo et hominibus secundum trutinam rectitudinis ordinabiliter disponat atque perpendat.

**3. An aged Merlin, asked whether he will resume the kingship, ponders the growth of a nearby tree.**

Cumque statum patrie per singula notificassent  
atque rogaretur sua sceptralia resumere rursus  
et tractare suam solito moderamine gentem,  
sic ait, ‘O juvenes, mea non hoc exigit etas  
in senium vergens que sic michi corripit artus  
ut vix preteream laxatis viribus arva.

Roboris annosi silva stat quercus in ista  
quam sic exegit consumens cuncta vetustas  
ut sibi deficiat succus penitusque putrescat.

Hanc ego cum primum cepisset crescere vidi  
et glandem de qua processit forte cadentem.

Hic illam crevisse sua jam sponte videbam  
singula prospiciens, tunc et verebar in istis  
saltibus atque locum memori cum mente notavi.

Ergo diu vixi, mea me gravitate senectus  
detinuit dudum. Rursus regnare recuso.

**4. How the poet Proba reused the words of Virgil and Homer to compose a cento about the Bible.**

Proba quoque, Adelphi magnifici et consularis viri uxor, doctos inter viros ac poetas memoranda venit. Litteris enim et Latinis et Graecis haec praedita femina metro diversas primum regum neces ac Romana bella descripsit, postea vero divinam ad rem conversa scriptos dudum ante versus et Latini Maronis et Graeci Homeri, eorum e libris hinc atque inde legens quae suo proposito convenienter, tanto artificio et ratione collegit, coniunxit, dispositus ut poetae illi non dicere quae dixerunt sed divina quadam mente et consilio Christiano ducti praedicere sanctorum patrum veteris testamenti gesta, mundi creationem atque principia et quae novo testamento continentur domini nostri Iesu Christi sanctissimam vitam et nativitatem, durissimam passionem ac mortem, decensum ad inferos, resurrectionem a mortuis, ascensum in caelum ex ordine videantur. Hanc vero istam ob rem illud est femina haec cognomentum adepta, quod Centona, ut solent qui aliena transmutant, pro magno ac singulari honore, laude, excellentia appelletur.